



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Uniuersa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Sect. 1. An intellectus angeli distinguatur realiter ab ipsius substantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

velle, quod quantum est de se, extenditur ad omnia, & infinite pater. Intelligere enim habet pro obiecto verum; & velle, bonum: quorum utrumque conuertitur cum ente, & infinite extenditur. 3. Potentia intelligendi non esse ipsam essentiam Angeli; quia in Angelo non est idem intelligere, & esse. Potentia autem dicitur in ordine ad actum: & secundum diuersitatem actuum est diuersitas potentialium. 4. Non esse in Angelis intellectum agentem & possibilem, nisi æquiuocè. Quia non sunt quandoque in potentia intelligendi, & quandoque in actu, sicut homines: & eorum obiecta sunt actu intelligibilia. 5. Non esse in Angelis aliam cognitionem, quam intellectiuam. Quia cum sint incorporei, non possunt habere cognitionem sensitiuam, quæ exercetur per organa corpora. Huc usque P. Thomas, cuius doctrina deinceps explicatur.

SECTIO. I.

Utrum intellectus Angeli distinguatur realiter ab ipsius substantia?

RES. sunt ea de re Theologorum & Philosophorum sententia. Primo enim D. Thomas q. 4. art. 1. & 3. censet, non modò intelligendi actum, sed & ipsam potentiam intelligendi, distingui à parte rei ab Angeli substantia. Idemque docent præter Thomam Alesius p. 2. q. 21. membro 1. Vafq; in Comment. & dissertationibus ad articulos citatos, Suar, lib. 2. de Angelis c. 1. aliiq; plures.

Contra verò Aristot. 12. Metaph. c. 9. quem veteres aliqui interpretes ibidem sequuntur, affirmat non modò intellectum, sed ne actum quidem intelligendi, distingui à parte rei ab Angeli substantia. Quod idem videtur affirmare Durand. in 2. dist. 3. q. 5. ad 1. quoad illum actum, quo Angelus se ipsum cognoscit. Aristoteles quidem loco cit. loquitur primò & præcipuè de mente præstantissima, id est, de Deo: id tamen extendere videtur ad omnes intelligentias immateriales, cum sic ait: *Cum igitur non sit diuersum ab eo quod intelligitur, & intellectus; quocumque non habent materiam idem est ac intellectus.* Bandem sententiam Suarez lib. 2. cap. 1. num. 9. tribuit Malonio in 2. dist. 3. disput. 5. sed ille ibi sect. 2. expresse affirmat distingui à parte rei ut ens ab ente, intellectionem ab essentia Angeli, licet non possint mutuo separari: quia de causa distinctionem illam formalem potius quam realem appellari vult. Profiteturque se nomine tenet dumtaxat ab aliis differre.

Inter utrosque medijs Nominales actum quidem intelligendi distinctum esse putant: non tamen intellectum. Idemque censent Recentioribus Less lib. 13. de perfect. diuin. cap. 30. n. 118. Aegid. Conink rom. 1. de sacram. quæst. 77. art. 4. num. 49. Hurrad. disp. 4. de anima sect. 4. num. 41. & probabiliter censet Valentia disp. 6. q. 3. punct. 2. col. 1.

In hac opinionum varietate certum primò esse debet, non omne principium intelligendi distingui realiter ab Angeli substantia. De radicali enim (si formali distinguatur) res manifesta est. Ipsa enim substantia & essentia Angeli debet esse radix intellectus & voluntatis, si ab illa distinguuntur, & ceterarum proprietatum naturalium, sicut in reliquis entibus essentia cuiusque est basis & radix proprietatum & attributorum ipsi connaturalium.

De formali, certum etiam puto, non omnem vim intelligendi formalem, distinctam esse realiter à substantia Angelorum. Etenim Angeli per suam substantiam effectiue, partialiter saltem, intelligunt & volunt. Ergo ipsorum substantia est aliquatenus principium formale intelligendi & volendi. Probatur antecedens. Nisi enim Angeli per suam substantiam effectiue intelligant & velint, sed tantum per accidentia distincta: non videntur Angeli, sed accidentia illa, quibus mortuo modo subest ipsorum substantia. Et tamen vel ipsa experientia motum, est nos ad eas operationes, sicut & ad sensationes & appetitiones, conari & concurrere effectiue, longèque aliter operari, quam cum innato calore externum quiddam calefacimus, aut naturali grauitate ponderamus, aut species speculo imprimimus, & similia, quæ producimur tantum per accidentia quædam distincta, quibus mortuo modo subest nostra substantia, remouè tantum & denominatiue operando per illa. Ergo de Angelis idem censendum est, quantum ad actus intelligendi & volendi.

Confirmatur, quia actus secundus vitalis debet esse à principio vitali per se, quod est ipsum substantiale principium, seipsum mouens & exercens operando vitaliter. Item, omninò necessarium est ut principium vitale per se appetens, sit etiam per se cognoscens, & non tantum per aliud distinctum. Ergo impossibile est Angelum intelligere solum per aliquid distinctum à sua substantia: & velle per aliud adæquatè distinctum eum à sua substantia, cum à

non omne principium intelligendi distinguitur realiter ab Angeli substantia.

Idem principium quod appetit, debet esse cognoscens.

I. Variæ sententiæ D. Thom.

Alesius Vafq; Suar.

Aristot.

Durand.

Lessius Conink Hurrad. Valent.

principio intelligente. Probatur antecedens. Nam actus appetitus vitalis essentialis est, ut sit tendentia in obiectum cognitum, & secundum cognitionem. Atqui principium non cognoscens per se, non potest tendere in obiectum cognitum, & secundum cognitionem. Ergo id quod tendit in obiectum cognitum, & secundum cognitionem, non est principium non cognoscens per se, sed necessarius debet esse per se cognoscens. Atque omnino fieri non potest, ut illud idem à parte rei non sit cognituum. Quod non potest esse volituum, nisi obiecti, nisi secundum cognitionem: tendentia autem secundum cognitionem, non potest esse duntaxat à facultate cœca in seipsa, qualem fingunt esse voluntatem à Quersarij, qui intellectum & voluntatem, tum inter se, tum à substantia distinguunt à sequare. Quod enim intellectus sit cognoscens, non sufficit. Imò potius quod modo dixi frustra lumen cœco admoveas: sic frustra voluntati proponitur obiectum bonum vel malum, quippe nullatenus valenti percipere bonitatem vel malitiam obiecti, nec quid, aut quando, vel quale proponitur. Quare saltem necessarium est, ut vnum & idem re principium, eadem videlicet intellectus substantia; per se intelligat & appetat: hæc sola sit totale principium huiusmodi operationum: siue principale tantum, concurrentibus aliis facultatibus accidentalibus realiter distinctis.

Confirmatur secundò, quia principium quod vult, mouet se ipsum vitaliter ad volendum, per obiecti bonitatem ut cognitam. Ac prout se mouet ut cognoscens: & quidem liberè, si cognoscit in obiecto bonitatem non necessitatem, & sui compos est. Item se mouet secundum consultationem & deliberationem præuiam, tendens liberè in id quod expedire visum est, aut etiam in oppositum. Interdum enim tendit contra dictamen vltimum cognitionis præcæ. Tantum abest, ut ab obiecto, vel à cognitione, moruo quozam modo dorminetur: sicut determinatur sensus externi ab obiectis, vel ab eorum speciebus impressis; & sensus internus, à sensatione sensus externi; & intellectus, ab istius operatione, vel à speciebus intellectibilibus, aut à præsentia obiecti. Quomodo autem se moueat ut cognoscens, ut consultans, & deliberans, & eligens secundum consultationem, & deliberationem, id quod plane non cognoscit? Quid prodesse potest cognitio vnius, alteri profus non cognoscenti, ut secundum cognitionem agat, & sese moueat in obiectum qua ratione cognitum est? Quomodo potest liberè eligere vnum è duobus, & vnum obiectum alteri præferre; nisi cognoscatur ea, inter quæ eligit, & quorum bonitatem vnam alteri præfert?

Iam si Angeli substantia per se intelligit & vult: ergo eatenus potest per se intelligere & velle: atque eatenus est potentia intellectiua & volitiua. Quare non omnis potentia intellectiua & volitiua, seu principium formale intelligendi & volendi, distinguitur

realiter ab Angeli substantia. In quo nobiscum sentiunt præter supra citatos inertia opinione, Suar. disp. 18. Metaphys. sect. 5. n. 2. & 3. & Valq. 1. 2. disp. 9. n. 28.

Dico secundò, licet non sit improbabile substantiam Angeli compleri in esse intellectiui & volitiui per potentias accidentales distinctas: huius tamen complementi necessitatem nullam esse: & absolute probabilius videri potentiam vitalem intelligendi & volendi, nulla ex parte distingui ab Angeli substantia.

Prima pars satis patet auctoritate D. Thomæ & aliorum, quos pro propria opinione retulimus num. 1. Quibus videntur fauere Dionys. c. 11. de cœlest. Hierarch. distinguens, etiam in summis spiritibus; substantiam, virtutem, & operationem. Et Anselm. lib. de concep. virginali c. 4. ubi hæc tria similiter distinguit: & lib. de casu Diaboli c. 8. affirmat voluntatem Angeli non esse substantiam, licet sit aliqua essentia, & Augustin. lib. 6. de Trinit. c. 6. dicens animam humanam deficere à simplicitate diuina propter multitudinem operationum & virtutum: & denique alij Patres communiter, in eo distinguentes Deum à creaturis, quod in Deo essentia, potentia, & operatio idem sint: secus in creaturis. Adde quod Angeli intelligentia non est summa, sicut diuina. Et sicut ego conuersa obiecti aut speciei: sic non est improbabile egere complemento qualitate distincta à qua in modum potentie & principij proximè iuuetur effectiue ad actus vitales intelligendi & volendi.

Secunda pars probatur: quia quæcūque ad prædictam necessitatem ostendendam proferri solent, vel falsa, vel infirma sunt. Primū enim, quod aiunt, substantias materiales non exercere per se immediatè operationes suas accidentales, sed per accidentia distincta: ut elementa, per primas qualitates, cœlos & astra, per lumen & qualitates occultas: mixta similiter: imò & viuientia per calorem natiuū vegetare, &c. Vnde colligere est substantias creatas esse improporionatas, ut sint principium alicuius operationis accidentalis: idque oriri ex limitatione substantiæ creatæ: ideoque in omni spiritu creato, imò & creabili, distinctionem illam inter substantiam, & potentiam operandi accidentaliter, ponendam esse. Hoc, inquam, multis instantiis falsum esse ostenditur. Nam multæ operationes accidentales conueniunt immediatè substantiis materialibus: ut emanationes propriorum accidentium, & reductio seu reparatio eorūdem: quando v. g. aqua calefacta, igne remoto, frigus pristinum repetit. Constat etiam ex prima conclusione actus vitales cognoscendi & appetendi, partialiter saltem, oriri ab ipsa viuientis substantia, idque fatentur multi ex aduersariis. Item si intellectus & voluntas distinguuntur realiter à substantia, debent manare ab ipsa, sicut alia proprietates distinctæ fluunt connaturaliter à substantia cuius sunt, ut fatetur Suar. post D. Thomam quæst. 77. art. 7. D. Thomæ maior autem est ratio, ut Angeli substantia possit

possit ac debeat esse principium intellectio-
nis & volitionis, quam intellectus & volun-
tatis in actu primo. Ita enim productio non
est vita, quemadmodum intellectio & voli-
tio, quæ proinde tribui potius debent sub-
stantiis intellectualiter & appetibilibus vi-
uentibus, & sese mouentibus.

9. <sup>Vnde spec-
ficentur
potentia?</sup> Secundò, quod aiunt potentias specificari
ab actibus, & illis proportionari, ideòque
potentiam ad actus accidentales debere esse
accidentalem: non est verum. Quia potentia
formaliter seipsis specificatur & indiuidu-
antur. Quidlibet enim seipso est formaliter
id quod est. Et consequenter, vnum distin-
ctum à quolibet alio. Sicut autem potentia
habent ordinem transcendentalem ad actus
& obiecta: Ita speciem habent in ordine ad
illa. Sed saluum est substantialia non posse
ordinari ad accidentalia. Estque impossibile
omnem potentiam producendi accidentalia,
ita esse accidentalem: cum omnis productio
cuiuscunque accidentis sit tandem referenda
ad aliquam substantiam. Adde potentiam
aquæ ad repetendam frigiditatem connatu-
ralem, esse aliquam potentiam, & quidem
substantialem, cum sit ipsamet forma sub-
stantialis aquæ: & tamen est ad aliquod ac-
cidens. Idemque dico de substantia vt pro-
ductiua intellectus, & voluntatis, in senten-
tia aduersariorum: deque aliis naturis sub-
stantialibus respectu suarum proprietatum.

10. Tertiò, quod aiunt substantiam Angeli
esse de se indifferentem ad intelligendum &
volendum: ideòque debere determinari
per facultates accidentales, quæ sint prin-
cipia determinata talium operationum: va-
num est. Nam sicut per aduersarios, substan-
tia Angeli, vt potens producere intellectum
realiter distinctum, est determinata ad il-
lum producendum: & vt potens producere
voluntatem, est similiter ad illius produ-
ctionem determinata, sicque de cæteris
proprietatibus: ita, & quidem maiori com-
pendio, dici potest ipsam substantiam Angeli,
prout est per se potens adæquatè ad intelli-
gendum, esse determinatam ad intelligendum:
& prout est per se potens ad volendum,
esse determinatam ad volendum, id est, esse
potentiam volendi specialiter & determina-
tè: vt propterea non sit opus principis dis-
tinctis realiter, cum inter se, tum ab An-
geli substantia. Adde quod intellectus ipse
est de se indifferens ad infinita intelligen-
da: & voluntas, ad infinita volenda: ne-
que propterea distinguendæ sunt facultates
intelligendi & volendi infinitæ, per
quas determinentur ad hæc aut illa obie-
cta speciatim. Sufficienter autem determi-
natur Angelus ad hoc aut illud intelligendum
in particulari, ab occurso obiectorum,
vel ab eorum speciebus. Et ad volendum,
vel determinatur à cognitione, vel illa posi-
ta seipsum liberè determinat ad operandum
circa obiectum cognitum. Quare vt deter-
minetur, non eget intellectu & voluntate
realiter distinctis.

Tomus I.

11. Addunt quartò, intellectum & volunta-
tem animæ rationalis distinguunt realiter ab
ipsis substantia. Ergo & in Angelis. Pro-
bant antecedens: tum quia potentia sensiti-
uæ distinguuntur ab ipsa: tum etiam quia
substantia animæ rationalis informat cor-
pus, intellectus autem & voluntas non in-
formant: & in iustificatione gratia recipi-
tur immediatè in substantia animæ, fides
in intellectu, spes & charitas in volun-
tate.

Intellectus
& voluntas
non distin-
guuntur ab
anima ra-
tionalinec
sepius, ab
organo.

Respondeo negando antecedens. Ad cur-
ius primam confirmationem, dico sensus
materiales esse plurimum compositum ex
organis & anima: vltra quod non est opus
potentia sensitiua accidentali realiter dis-
tincta. Idque intelligo tam de sensibus in-
ternis, quam de externis. Appetitus quoque
sensitiuus non distinguitur realiter à sensu
interno, cognoscente obiectum, quod ap-
petit. Neque resident hic tantum in cere-
bro, ille in corde aut hepate: sed per to-
tum animal diffunduntur, vt ostendit ex-
perientia fœtilium, quæ diuisâ quavis par-
te si pungantur in illa, dolent, refugiunt, ir-
ritantur, & alia faciunt, quæ appetitui sensi-
tiuo tribuuntur. Quamuis præcipue & ma-
gis vigeant in partibus corporis supra di-
ctis: vbi etiam illorum occasione maior esse
solet commotio spirituum & humorum.
Sensationibus internis vel passionibus ser-
uientium. In vegetantibus denique vis ge-
neratiua substantialiter, & nutritiua, anima-
tiua fœtus & alimenti non distinguitur re-
aliter ab ipso viuente: licet naturales dispositio-
nes caloris, siccitatis, humiditatis, & alia
id genus, per quas producunt qualitates sibi
similes, substantiali generationi vel nutri-
tioni præuias, distinguantur realiter à sub-
stantia viuentis, generantis, aut nutrien-
tis.

12. Ad secundam confirmationem. Respon-
deo animam, etiam quæ intellectiua, in-
formare substantialiter corpus, à quo seua-
tur dispositiue & remote ad intelligendum
per sensationes internas & externas. Quam-
uis sicut corpus non concurret immediatè
ad actus intelligendi & volendi, quippe in-
capax producendi effectum spiritalem: ita
neque ab illis immediatè indomitur aut affi-
ciatur, sed mediante anima. Gratia verò pro-
babilis non distinguitur à charitate. Vbi
distinguitur: illa diuisio inhaerentis intelli-
genda est secundum diuersas consideratio-
nes eiusdem animæ, quæ est substantia, seu
essentia quedam, & intellectus ac voluntas,
prout valet per se ad intelligendum & vo-
lendum. Et gratia quidem infunditur illi
simpliciter, vt illam ornent: fides verò vt il-
lam iuuet ad intelligendum, & charitas vt
illam perficiat & eleuet, quatenus valet ad
amandum & volendum.

13. Dionysius autem citatus in Contrarium, &
Anselmus priori loco intelligit potest eo sen-
su, quo August. & alij, mox explicandi. In po-
steriori loquitur de voluntate sumpta præ-

M M m

Explicatur
Patres ci-
tati in con-
tractu. For-
rum aliqui
nobis a-
perite con-
sentant.

actu volendi. Loquitur enim de conversione & voluntate, actuali scilicet, ad bonum vel ad malum. Augustin. denique & alij Patres confuse citati, non ita sunt intelligendi, quasi nulla substantia per se quicquam operetur: quod in omni sententia falsum est generaliter: sed quod nulla sit substantia creata, quae sit realiter omnis sua virtus, & omnis sua operatio: quaeque aliquatenus non contineat aliquam facultate vel operatione realiter distincta: cuiusmodi admittimus in Angelis species & habitus, & naturales, quam supernaturales, & operationes in re distinctas: de quibus paulo post. Speciatim verò D. Augustin.

Augustin.

loco cit. in obiectione non videtur nomine virtutum seu potentiarum animae, quas affirmo distinguere: sed ait, *Cam in anima aliud sit artificiosum esse aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud tristitia, aliud tristitia, possintque alia sine aliis, & alia magis, alia minus, innumerabiliter in anime natura inveniri: manifestum est non simplicem, sed multiplicem esse naturam.* Nihil enim simplex mutabile est: omnes autem naturae mutabiles. Quibus verbis significat se loqui, non de facultatibus ipsis naturalibus intellectus & voluntatis: sed de habitibus, & speciebus, vel aliis affectionibus, & operationibus, quas fatemur distinguere: at non vires ipsas naturales intelligendi & volendi, quas non distinguere realiter ab anima docet idem S. August. lib. 10. de Trinit. cap. 11. ubi sic ait: *Hec igitur tria, memoria, intelligentia, & voluntas, quoniam non sunt tres vires, sed una virtus, nec tres mentes, sed una mens: consequenter utique nec tres substantiae sunt, sed una substantia.* Et Auctor libri 3. de spiritu & anima apud eundem Augustinum cap. 13. *Habet siquidem naturalia, & ipsa omnia est. Potentia namque & vires eius, idem sunt quod ipsa. Habet accidentalia, & ipsa non est. Non enim est sua prudentia, sua imperantia: quibus verbis nihil clarius dici potest.* Eodemque cap. 14. S. Pater docet discretissime potentias animae non distinguere ab ipsa, cum sic ait: *secundum operis sui officium variis nuncupatur nominibus. Dicitur namque talis anima, dum vegetat: spiritus, dum contemplatur: sensus, dum sentit: animus, dum sapit.* Ista tamen non differunt in substantia, sicut in nominibus. Quoniam omnia ista, una anima est. Proprietates quidem diversae: sed essentia una. Et paulo post: *simplex substantia est anima. Nec aliud, nec minus inaccessibilis, & concupiscentia, quam anima, sed una eademque substantia secundum diversas potentias diversa sortitur vocabula. Naturales siquidem sunt ei, nec aliud, & quam ipsa.* Et cap. 4. eiusdem libri propter varia officia, variatur, & variè nuncupatur. Dicitur itaque sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Et haec omnia in anima (id est, quatenus se tenet ex parte animae) nihil aliud sunt quam ipsa. Alia & alia proprietates in se (id est, alia & aliae affectiones, & dispositiones organicae) propter varia officia: sed una essentia rationalis, & una anima. Proprietates quidem diversae: sed essentia una, secundum exercitia, multa sunt. secundum essen-

tiam verò, unum sunt in anima, & id est, quod ipsa. Et Bernardus serm. 11. in Cant. a. *Ita anima, inquit, tria intuetur: rationem, memoriam, & voluntatem: Et haec tria ipsam animam esse. Similia ex Ildoro, & aliis refert Valentia Valent. disp. 6. qu. 3. puncto 2.*

SECTIO II.

Actus intelligendi distinguatur realiter ab Angeli substantia?

Respondeo actum intelligendi distinctum quidem esse realiter ab Angeli substantia, non tamen ita ut principium vitale substantiale intelligendi non includatur in ipso exercitio vitali, ut per se ipsum attendens volentem vitaliter in obiectum.

Prima pars responsi est communis Theologorum, & Philosophorum, praeter paucos pro secunda opinione relatos num. 1. quoniam naturale supponunt fore ut alioqui defatigetur intelligendo Angeli: defatigatio enim quam experimur intelligendo, provenit a contemtionem, & in tempore organorum in tellectioni ministrantium, quibus Angeli carent. Male item supponunt Angelos esse nobilissimas substantias possibiles, Deoque similes in eo quod, sicut Deus est substantia immortalis, semper intelligens, cuius substantia est ipsum intelligere: sic & Angelus. Etenim Angeli licet inter curas creaturas de facto productas, & naturaliter spectatas, nobilissimi sint: perfectiores tamen in infinito produci poterunt, & infinite distanti a Dei perfectione, hominibusque paulo magis duntaxat superiores sunt, ut ait Scriptura Psal. 8. v. 6. Homines autem non sine aliqua physica operatione & productione vivunt in actu secundo. Ut credibile reddunt tot organa d. visionem, & alias sensiones externas destinata: unde de sensu interno, & de mentali cognitione idem coniectari liceat: praesertim cum maiore conatu & impensa operationes istae soleant exerceri.

Adde quod sancti Patres, Basil. homil. 16. in illa verba, *In principio erat Verbum*, Gregorius Nyssen. in epist. contra Apollinar. post medium, Cyrillus Alexand. lib. 2. Dialogi de Trinit. longe post medium, Anselm. in Monolog. cap. 31. & alij communiter, productiones divinas Filij & Spiritus sancti explicant per comparationem ad productionem nostrorum actuum intelligendi & volendi. In eo quod, sicut nos, cum intelligimus, producimus verbum mentis, siue actum cognoscendi, realiter distinctum a intellectu producente: & cum amamus, producimus amorem realiter distinctum a principio volente: Sic Pater divinus intelligendo seipsum, producit Verbum personale, id est, Filium, realiter a se distinctum. Et Pater ac Filius amando se invicem, producunt amorem personalem, id est Spiritum sanctum, a se realiter distinctum. Cui tam communi Patrum consensui in verbis fidei explicandis contradicere, a te